



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nucleus Juris Canonici**

**Thenhaven, Bernhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1739**

Widmungen

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](#)

Reverendissimo, Excellentissimo,  
& Illustrissimo DOMINO,

D. F R I D E R I C O  
C H R I S T I A N O,

Ecclesiarum Metropolitanæ Colonensis  
Archi-Diacono Majori : Cathedralium  
Paderbornensis, Hildesiensis & Monaster-  
iensis respectivè Præposito, Scholastico  
& Canonicō Capitulari: Collegiatarum  
Sutensis ac Meschedensis Præposito : Suę  
Serenitatis Electoralis Colonensis intimo  
& Conferentiarum Confiliario: Commen-  
datori Ordinis S. Michaëlis Archangeli:  
Diæcesis Paderbornensis Pro-Principi,  
&c. &c.

Reverendissimo ac Illustrissimo  
D O M I N O,

D. H U G O N I F R A N-  
C I S C O,

Cathedralium Ecclesiarum Paderbornen-  
sis, Hildesiensis & Monasteriensis re-  
spectivè Thesaurario, Archi-Diacono  
& Canonicō Capitulari: Serenissimi Ele-  
ctoris Colonensis quā Principis Hilde-  
siensis Confiliario intimo, &c. &c.

R.

Reverendissimo & Illustrissimo  
DOMINO,  
**D. FRANCISCO**  
**E G O N,**

Ecclesiarum Paderbornensis, Hildesiensis  
ac Monasteriensis Canonico Capitulari,  
& Cathedralis Halberstadiensis Canonico  
Domicellari: Serenissimi Electoris Colo-  
niensis, quæ Episcopi Monasteriensis per  
Civitatem & Diœcesin Monasteriensem  
in Spiritualibus Vicario Generali ac Si-  
gillifero, &c. &c.

Excellentissimo ac Illustrissimo  
DOMINO,  
**D. CHRISTIANO FRAN-**  
**CISCO THEODORO,**

S. Cæsareæ ac Catholicæ Majestatis Came-  
rario & Consiliario Aulico: Suæ Sereni-  
tatis Electoralis Coloniensis Consiliario in-  
timo: Satrapæ hæreditario in Bilstein,  
Waldburg & Fredeburg: Deputato  
Statuum Westphaliæ: Advocato hæredi-  
tario in Graffschafft & Ewig: Dynastæ  
in Horst & Oberkirchen: Toparchæ in  
Homburg, Orren, Grandville, &c. &c.

*Commendatori Ordinis S. Michaëlis Ar-  
changeli: Domino Hæreditario in Schnel-  
lenberg, Herdringen, Adolfsburg,  
Böke, Ichterloh, &c. &c.*

*Ex antiquissima LL.BB. de Fürstenberg  
Familia,*

*Nobilissimo Fratrum Germanorum Qua-  
ternioni, & Illustrissimo Quadrum-  
viratui omni, quā par est, reverentia  
Nucleum hunc Canonicum*

D.D.D.

Provincia Saxoniæ S. Crucis  
FF. Min. Strict. Observ.

*Reverendissimi, Excellentissimi, Illu-  
striissimi Domini,*

*Domini perquām Gratiōsi, &c.*

**N**e miremini Reverendissimi, Ex-  
cellentissimi & Illustrissimi Do-  
mini, quod quaternos Vos Ger-  
manos Fratres Nobilissimos Quadrum-  
viros eligere præsumam hujus Nuclei  
mei Canonici Atlantes & Patronos, sub  
quorum auspicio publicam lucem aspi-  
ciat, præsidio protegatur, auctoritate con-

ser-

## D E D I C A T I O.

servetur; concredita námque iteratò exilitatis meæ gubernio Provincia Saxoniæ S. Crucis Fratrum Minorum S. Francisci Strict. Observ. maximis obligationum titulis Excellentissimæ, Illustrissimæ & Antiquissimæ Baronum de Fürstenberg Familiaæ (è qua tanquam ex equo Trojano prodiere tot æquitatis Antistites, Capitulorum Perillustrium Præfides, Ecclesiæ Prælati; quot nomina, tot jurium Censores, tot Canonum fulera, tot justitiæ Dictatores; quot nomina, tot absoluta æquitatum & virtutum omina) nullo non tempore est obstrictissima. Testatur hoc præter Conventus reliquos antedictæ Provinciæ, præprimis Conventus Paderbornensis, (enucleati laboris mei officina) glorioſis gaudens cineribus Reverendissimi & Celsissimi Domini, D. Ferdinandi, Diœcœssum Paderbornensis & Monasteriensis quondam Episcopi, & S. R. I. Principis, Gloriosissimi Vestri Pro-Patrui, in medio Chori FF. Min. Paderbornensis Ecclesiæ honorificentissimè tumulati, quem ut Fundatorem & Benefactorem suum munificentissimum memoria colit & retinet non intermoritura. Quid plura? Innumera Illustrissimæ Familiaæ Fürstenbergicæ beneficia abundantissimè hactenus dimanata in Ordinem nostrum Sera-

## DEDICATIO.

phicum, præcipue in minimam Saxoniam  
S. Crucis Provinciam, (quæ certe in plu-  
ribus forsan suis Conventibus, Pader-  
bornensi signanter, Warendorpiensi,  
Hardenbergensi & Aschendorpiensi In-  
signiis Fürstenbergiacis singulariter illu-  
stratis, non ita staret aucta & recta, nisi  
gemina Illustrissimi Stemmatis Fürsten-  
bergici trabe seu basi niteretur erecta &  
protecta) verecundo magis silentio, quam  
contrario modestiæ Fürstenbergicæ elo-  
quio Posteritas Franciscana deprædicabit.  
Pace interim Vestra Reverendissimi, Ex-  
cellentissimi & Illustrissimi DD. Qua-  
drumviri Nucleum hunc meum quadri-  
fariam dividens R. mis Excell. mis & Ill. mis  
Gratiis Vestrīs in debitæ gratitudinis  
mnemosynon dico ac dedico. Et Tibi  
quidem R. me Excell. me & Ill. me Domine,  
**D. FRIDERICE CHRISTIANE**, R. mi  
ac Ill. mi Capituli Cathedralis Paderbor-  
nensis & Collegiati insignis Susatenis ac  
Meschedensis Præposite dignissime, Diœ-  
cesis Paderbornensis Pro Princeps vigi-  
lantissime, &c.

LIBRUM PRIMUM consigno, utpote *de*  
*Prælatis Ecclesiasticis agentem, Dignitati*  
*Præposituræ cum primis proprium, de*  
*qua seu Dignitatis, seu Virtutum Tuarum*  
*in Prælatura reluentium excellentia, si*  
*verba*

## DEDICATIO.

Verba mihi facere liceret ampliora, profectò laudum campus pateret amplissimus, nisi modestia Tua, cui laus propria molesta nimis est & ingrata, & affectum meum reprimeret & calamum cohiberet. Sanè ex singulari Divini Numinis providentia in hisce Dignitatum fastigiis constitutus esse videris, ut perspicias omnia, prospicias singulis; veram námque & vivam Prælati ideam & imaginem diversæ Diœceses, præ cæteris Paderana, in Ill.<sup>ma</sup> persona Tua gratulabundè venerantur, continua exinde tum in spiritualibus, tnm in temporalibus emolumenta copiosè in sese dimanatura omine non vano augrantes.

LIBRUM SECUNDUM *de Judiciis, seu modis justitiam administrandi* tractantem, reverenter attribuo Tibi Reverend.<sup>me</sup> & Ill.<sup>me</sup> Domine, D. HUGO FRANCISCE, Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis Thesaurarie, &c. Vir æquitatis integerrimæ, dans cuique, quod suum est, ab Äquatore non recedens, semper omnibus idem, justitiæ præsertim distributivæ bilancem in neutram magis partem inclinans, sed justa constantis ac liberalioris animi trutina tam ad proximum rectus, quam ad Superos erectus: suum cuique tribueus, tam *Thesauros Ecclesiasticos,*

## DEDICATIO.

(quod Tuum quā *Thesaurarii ex dist. 25. cap. 1. in fine* officium est) providè custodiens, quām aliunde Tibi ex proventibus Ecclesiasticis fructus obvenientes debitè distribuens. Superis das animum in choro, proximo indigo manum liberalem in foro: DEO amorem, egeno favorem; charitatem DEI & proximi ex æquo dividens; mente promptissimā atque devotā administrans seu sacrificans sacrificium justitiae distributivæ.

LIBRUM TERTIUM *de vita & honestate Clericorum* eorūmque juribus ac obligationibus, dum inchoo, Te spectat & justè expectat labor meus R.<sup>me</sup> & Ill.<sup>me</sup> Domine, D. FRANCISCE EGON, Serenissimi Electoris Coloniensis quā Episcopi Monasteriensis per Civitatem ac Diocesin Monasteriensem in Spiritualibus Vicarie Generalis ac Sigillifer, &c. qui non minus sapientiâ, providentiâ, variisque scientiarum generibus, quām virtutis constantiâ, integritate vitæ ac honestate clarissimus in Generalis Vicariatū officio luces ut Sol inter sidera, à quo Clerus omnis, ut cœlestis siderum chorus à Sole suum mutuetur splendorem vitæ honestioris, continuet cursum, & gratiarum influentias latius diffundat. A Montibus descendit lumen in valles, (mentes) dum Tu R.<sup>me</sup> &

## D E D I C A T I O.

& Illustrissime Domine, forma Cleri & gregis factus ex animo; Amplissimæ Diœcesis Monasteriensis Clerum juxta S. Ecclesiæ Canones constanter informas, auctoritate defendis, moribus instruis, & ad omnem Ecclesiasticæ honestatis ac decentiæ Regulam tum exemplo præclariorē, tum verbo simul & præscripto continuas ædificare, æquorectique constans etissimus.

LIBRO QUARTO *de Sponsalibus & Matrimonio*, ac QUINTO *de Criminibus eorumque pœnis* non incongruè præfigo Excellentissimum ac Ill. mūm Dominum, D. CHRISTIANUM FRANCISCUM THEODORUM, Sacræ Cæfareæ ac Catholicæ Majestati, nec non Suæ Serenitati Electorali Coloniensi respectivè à Cubiculo & Consiliis quâ Aulicis quâ intimis actualibus, Satrapam hæreditarium in Bilsstein, Walden - & Gredeburg, &c. utpote qui in triplici à cælis ter benedicto Matrimonio abundante Charisnatum vite, velut Mons Ephraim, id est, frugifer, cum tot florentibus olivarum novellis per varias Europæ partes olim dulcedinem suam distillaturis feliciter Benedictus à Domino; ac in Satrapiis sibi commissis zelator justitiæ, mali & vitiorum vindicta æquissimus; avitarum virtutum

tum

## DEDICATIO.

tum æmulator constantissimus; zelo fidei  
orthodoxæ, in egenos & afflictos miseri-  
cordiâ, erga Religiosas Familias, præ-  
cipue pauperum Franciscanorum bene-  
volentia clarissimus; in liberalium artium  
disciplinis ac utroque jure versatissimus;  
virtute autem, honore & gloriâ illuſtris-  
simus, dum ad Generis splendorem pro-  
pter ingenitarum virtutum præstantiam  
Sacra Cæfarea & Catholica Majestas Au-  
læ Consiliarii honorem adjunxit; quem  
Dominus sibi suisque omnibus diu con-  
servet sospitem, gloriâ constantem, famâ  
immortalem; sic enim jure meretur Mons,  
in quo beneplacitum est DEO, Mons  
Montium seu Montium Princeps.

Quarum aliarumque Generis Illustriſ-  
mi laudum & virtutum splendor tam  
suaviter meum perstringit animum, tam  
graviter astringit calatum, tam fortiter  
obstringit utrumque, ut Nucleum hunc  
Juris Canonici, in Conventu Paderbor-  
nensi enucleatum laborem meum, multis  
alias titulis Ill.<sup>ma</sup> Familiæ Fürstenbergi-  
cæ prætaeti Conventū Fundatrici debi-  
tum, Nobilissimo Fratrum Germano-  
rum Quaternioni omni, quâ decet, re-  
verentiâ inscribam, offeram, dedicem;  
non ut summo me gratudinis debito ex-  
ſolvam, sed arctius Ill.<sup>ma</sup> Fürstenbergia-  
dum

## D E D I C A T I O.

dum Familiæ me cum tota mihi concré-dita Provincia obstrictum profitear. Nu-cleus quidem est, fateor, quem offero, Illustriſſimi Quadrūm̄viri, sed in quo omnes fere Juris Canones exēgeticē enu-cleati, Opus perexiguum & debile, aſt materiis grave; Illustriſſimo honori tantī Stemmatiſ imp̄r̄; sed splendore Vestro illuſtrabitur, favore magnificabitur, tra-bali Gentilitio robore fulcietur.

Respicite ergo, dum Nucleus iſthic meus Juris Canonici in lucem & conſpectum Vestrū prodit, respicite, in-quam, gratiosè Ill.mi Quadrūm̄viri, non tam ad Opus, quam ad affectum in illo enucleatē reluentem.

Æternum est gratitudinis Franciſca-næ monumentum, constantis obligatio-nis noſtræ monimentum, devotissimum totius Provinciæ meæ memoriale & ar-gumentum erga Illustriſſimam Fami-liam Fürſtenbergicam: Quam DEUS Ter Optimus Maximus ad ſui gloriā, Ecclesiæ Orthodoxæ ornementum, va-riarum Diœcesium splendorem ac Pa-triarum utilitatem, Ordinis Seraphici tutelam & augmentum in feris Poſte-ris clementiſſimè conſervare dignetur in columem.

Ita

D E D I C A T I O.

Ita cum tota Provincia Saxoniæ S. Crucis DEUM jugiter exoratura animitus precatur & vovet

*Reverendissimarum, Illustrissimarum  
& Excellentissimarum Vestrarum  
Dominationum*

*Insimus Servus*

F. Bernardinus Thenhaven,  
Minister Provinciæ Saxoniæ  
S. Crucis.

Dabam Paderbornæ, in Conventu  
FF. Min. Strict. Observ. ad S. Jose-  
phum, die 4. Septemb. 1738.

Reve-

Reverendissimo Patri,  
P. tri M A R T I N O  
P U T E A N U S,

SS. Theologiæ Lectori Jubilato, Almæ Provinciæ Germaniæ Inferioris Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum Ex-Ministro Provinciali ac Patri perpetuo, super Provincias Germaniæ Superioris ac Belgij, Hiberniæ, Angliæ, Scotiæ, Daciæ & annexas cum plenitudine potestatis, in utroque Foro Commissario Generali dignissimo ac meritissimo, &c. &c.

Reverendissime Observandissimeque  
Pater!

Juxta paradoxum simul & verum Romani Sapientis Senecæ effatum (nul lam scilicet rem, aut sapientiam, ut ut eximiam aut salutarem, esse delectabilem, si proprio tantum cerebro inclusa teneatur, nec communicetur, in utilitatem aliorum satius transfundenda) A. R. P. Bernardinus Thenhaven, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, Almæ Provinciæ Saxoniæ S. Crucis Fratrum Minorum S. Francisci strictioris Observantiæ iteratò Minister

D E D I C A T I O.

nister Provincialis, Nucleo præsente tan-  
quam imbres mittit eloquia sapientiæ,  
palamque facit Disciplinam Doctrinæ  
suæ (Juris inquam Canonici in quinque  
Libros Decretalium distributi) magno  
labore comparatæ, & in salutarem poste-  
ritatis usum destinatæ; cuius impressione  
cùm Officinam meam, bono similiter  
publico & Reipublicæ litterariæ insudan-  
tem, honorare dignatus fuerit, ejus Editio  
in Tuum hodie sinum confluit, Reveren-  
dissime Pater MARTINE PUTEANUS,  
præfati Ordinis inclytæ Nationis Germa-  
no-Belgicæ Commissarie Generalis, Poë-  
tæ conformiter: *Purius ex ipso fonte  
bibuntur aquæ.* Puteus enim, seu fons,  
es, purissimis (si Theologiam spectem,  
quam duodennio gloriosè tradidisti) fer-  
tilissimis (si Provinciam Germaniæ in-  
ferioris considerem, quam integro ferè  
triennio, dum interim ad altiora voca-  
baris, laudabiliter gubernâsti) dulcissi-  
mis (si alias prædictæ Nationis Germa-  
no - Belgicæ Provincias examinem, quas  
olim honorificè & paternè visitâsti) scien-  
tiarum & virtutum aquis superabundans.  
Puteus es, habens aquam vivam, deri-  
vans ubique fluenta foras. Fluenta Putei  
hujus in me gratiosè derivata censeo, cùm  
**prælum meum impressione NUCLEI**  
**JURIS**

D E D I C A T I O.

JURIS CENONICI fœcundari sentio,  
qui, ut eō largius in aliorum manus &  
vota diffluat, omnes ad videndam lu-  
cem veritatis, & secundūm S. Romanæ  
Ecclesiæ Canones vivendum animans,  
ex Te tanquam ex Puteo viventis & vi-  
dantis effluat, utpote qui Juris seu Ca-  
nonici, seu Regularis peritiâ notissimus,  
NUCLEI hujus Autori ab annis benè  
multis amicissimus, meritorum famâ per  
Ordinem Seraphicum Clarissimus, imò  
pluribus seu naturæ seu gratiæ donis per  
Orbem clarior, quam ut exilis hæc Pa-  
gella Laconicè queat comprehendere;  
nam Puteus es, in quo non sunt aquæ  
contradictionis, altus humilitate, clarus  
sinceritate, plenus affabilitate, perspi-  
cuus Religiositate, affluens & effluens  
omni meritorum ac venerationis abun-  
dantiâ. Hinc Revend.<sup>me</sup> Pater, Com-  
missarie Generalis Dignissime, Paterni-  
tati Tuæ Reverend.<sup>mæ</sup> profundè me  
inclinans, prælum NUCLEI JURIS CA-  
NONICI, operâ ac studio A. R. Patris  
BERNARDINI THENHAVEN, ex  
variis Juris Ecclesiastici Regulis, ejus-  
démque authenticis locis industriosè  
eruti & congesti, & in distinctos suos  
Titulos clare digesti, (in cuius intelli-

)() gen-

D E D I C A T I O.

gentia Tu Reverend.<sup>me</sup> Pater quoque fundatissimus, praxi longis ab annis probatissimus, & Jurium tum Regularium, tum Ecclesiasticorum zelosissimus) prælum inquam & laborem meum Tibi humillime dedico , sperans futurum , ut hunc laborem meum oculo, quo soles, benignè respicias, Dignitate Tuâ protegas & authoritate defendas , qui eò utilius in aliorum Juris Candidatorum usum & captum influet, quò facilius consuetæ benevolentiae Tuæ aquis cæperis affluere; quod dum animitius opto & voveo, totum me Tibi & omnibus gubernio Tuо concreditis Provinciis ad quæcunque servitia placita devoveo, & seros Incolumitatis annos R.<sup>mæ</sup> Tuæ Paternitati intimius apprecans constanter persevero

*Reverend.<sup>me</sup> Tuæ Paternitatis, &c.*

Devotissimus Servus

Joannes Wernerus Van der Poll,  
Bibliopola Coloniensis.

MAN-